

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrорvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.**

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè explicantur.

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1647**

De Rubricis Missarum de Aduentu. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9500**

182

# COMMENTARIA IN RUBRICAS MISSALIS ROMANI.

## PARS QVARTA.

### Rubricæ Missalis propriæ.



*MISSALE diuiditur in partes quinque, Proprium de Tempore, Proprium de Sanctis, Commune Sanctorum, Missas pro Defunctis, & Benedictiones varias, in fine eiusdem. Proprias unaqueque pars habet Rubricas à generalibus distinctas; & earum hoc loco tum originem, quoad eius fieri potest, tum alias causas inuestigabimus, Canon autem est centrum totius Missalis, in medio idcirco positus (de quo iam diximus) cum Ordine Missa omnibus Missis communis.*

*In hac igitur quarta parte predicta omnia ad Titulos nouemdecim reuocabimus, dilaturi nonnulla (Missali, & Breuiario in Sanctorum Festis communia) in aliud volumen Commentariorum in Rubricas Breuiarij, quævidetur esse eius loci mage propria.*

### De Rubricis Missarum de Aduentu. I.

**1** Missis ijs quæ in generalibus Rubricis sunt explicata, quæ hic in Missali, & in sequentibus ideo repetuntur, ut in memoriam Sacerdotis loco proprio reuocentur: Dicimus primo, inscribi Dominicæ de Aduentu, quia totus Ordo Ecclesiasticus iuxta cõtemplationem Aduentus Domini hoc tempore dispositus est. *Rupert. lib. 3. c. 1.*

**2** Tres aduentus Domini meditantur. Primum, quando venit, ut homo fieret. Secundum, quando venturus est in fine vitæ cuiusque nostrum. Tertium, quando in fine mudi. *Honor. in Gem. lib. 3. c. 1.*

**3** A Sancto Petro institutum fuit hoc tempus per tres hebdomadas integras, & quartam non integrum. *Durand. libr. 3. cap. 2.* vt sicut per quatuor elementa rui-  
mus per mala opera, ita surgamus ad bo-

na, *Amalar. lib. 3. cap. 40.*

**4** Partim latituz est, & *Alleluia*, dicitur, partim mætoris est, & tacetur Hymnus Angelicus, neque adhibentur Dalmaticæ, *Radulph. proposit. 16.* quia spiritus generat primus aduentus, secundus timorem in-  
cutit: *Durando loco cit.*

**5** Dicuntur Orationes duæ, de B. Vir-  
gine, & contra persecutores Ecclesie, vel  
pro Papa; ratione allata in *Rubric. gen. in  
casu simili 1 p tit 9.nu. 3. 6. pag. 21.*

**6** Missa intra hebdomadam non habet  
*Alleluia*, ut in Dominicis ob allatam cau-  
san propriam in *1. p tit 14. pag. 28.*

**7** Officia Missarum Aduentus (excepta  
Domin. quarta, quæ dicitur vacans à S.  
Gregorio) Habentur in libro *Sacramen.  
& Antiph. S. Greg. solaq; Oratio Dom. 1.  
est Ambrosiana, ex Pamelio in Liturg.*

M 4 De